



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

7. De officio Coadjutoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

§. VI.

Quibus modis finiatur potestas Vicarii.

1. Finitur morte Vicarii, item morte constituentiæ. &c.
2. Item Episcopo Ecclesiam deserente.
3. Et revocatione.

1. **F**initur primo, ipsius Vicarii morte. Secundo per mortem, vel etiam excommunicationem constituentis, *e. 1. h. t. in 6. Glossa in Clementi ult. De procuratoribus V. contestata*: ita ut ne quidem ante mortem vel excommunicationem Episcopi constituentis causas coeptas, eo mortuo vel excommunicato perficere queat. *Speculator De offic. Ordinarii §. 1. in V. Auditores Gloss. in d. Clementi. ult. e. 1. de officio Vicarii in 6.* quia idem profus est tribunal utriusque, eadēque utriusque persona reputatur, *e. 2. de consuet. in 6. c. Romana de appellat. in 6.* Ideoque cessante tribunali Episcopi per ejus mortem, vel suspensionem jurisdictionem per excommunicationem (quod evenit, quando est denunciatus, excommunicatus, aut notorius Clerici percussor) cessat quoque vel suspenditur tribunal seu jurisdictionis Vicarii. et in hoc differt Vicarius à Legato, cujus potestas non expirat, quoad incepta, morte delegantis, sicut nec per excommunicationem ejusdem. Ratio est, quia non idē delegantis & delegati est tribunal. Idem dicendū, Episcopo interdicto vel suspendo; ob eandem rationem, quando scilicet est denunciatus; idque post Conc. Constantiense; nam antē retinet jurisdictionem.

2. Tertio finitur, si episcopus ecclesiam suam resignet, aut ad aliam transferatur aut suā priveretur, vel ab ea removeatur, vel Religionem ingrediatur.

3. Quarto revocatur ejus commissio ab Episcopo constituente, vel ejus successore: etiam sine consensu Capituli, quemadmodum absque ejus consensu constitui potest, Abbas *in cap. Suanobis hoc tit. & ibid. Joan. Andr. num. 6. idem Abbas in cap. penult. sup. num. 4. h. tit.* Debet tamen revocatio insinuari Vicario: alioquin h̄ revocationem ignoret, interim per eum gesta valent, donec ei innoscant. *Garz. De benefic. par. 5. cap. 8. num. 174. & seq.* Quia etiam, si adit error com-

munis revocationis, gesta per illum, etiam revocationis conscientium, valebunt, *arg. l. Barbarus D. De officio Pratoris*: in qua non attenditur ignorantia privata, ut gesta, valeant, sed communis.

§. VII.

De officio Coadjutoris,

1. Coadjutor quis.
2. Datur Episcopo, & aliis inferioribus.
3. Cum futura successione, nisi ex causa, dari non potest.

Datur subinde Episcopo Coadjutor; de cujus munere Vicarii officio explicato, operæ pretium est, ut aliquid hic subjiciatur.

1. Dicitur Coadjutor qui alteri in subsidium, officii causa, adjungitur. Quibus autem ex causis, & quā formā detur Episcopis & aliis superioribus, explicatur *in c. unico De Clerico aegroto in 6.*

2. Neque enim Episcopo dumtaxat, sed etiam aliis inferioribus datur, si res exigat: veluti si morbo impediti superesse muneris suo non possint; ut de Rectore Ecclesiæ, leprā, de Archidiacono, paralyti laborantibus, rescriptum est *in c. 3. & in ubi laud. Abbas inf. De Clerico aegrotante*, Cum occupatus infirmitate vel ægitudine aliquā submoveri loco non debeat, ne afflictio addatur afflictio.

3. Coadjutorem tamen cum futura successione dari Prohibet Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 7. de reformat.* ne sic inducatur vorum captandæ mortis alienus; præterquam si Ecclesiæ Cathedralis vel Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet, Prælato dari Coadjutorem; qui tamen non aliter cum futura successione dabitur, quā causā prius à summo Pontifice diligenter cognitā, & concurrentibus qualitatibus, quæ à jure & decretis dicti Conc. in Episcopo & Prælato requiruntur: alias concessio Coadjutoris subreptitia censetur,

Ⓞ(f)Ⓞ

TITU.